

tiam loquuto Campegio a Senatu responsum est : *Summis laudibus extollere sanctissimi Pontificis mentem, curam, sollicitudinem pro communi pace, concordiaque susceptam, ex qua eximii fructus ad publicam utilitatem, immortalemque Hadriani Pontificatus memoriam manatura sint : nil a Republica ardentiori affectu exoptatum ullo unquam tempore fuisse ; ab honestis pacis conditionibus nunquam aversum fore, testari, quæ statim ad illum, cum ad summum dignitatis fastigium pervenisset, Senatus perscripserat. Ceterum quod ad fœdus cum aliis Principibus adversus Turcas ineundum attineret, nulli altius menti hæere quot damna, & clades ab ea gente illatæ sint, postquam malo nostro crescere Ottomanorum potentia cœpit ; cum, quæ post Byzantium orientalium Imperatorum sedem occupatum, a Republica per quinquaginta fere annos continentia bella gesta sint, quibus cives occumbere, diripi urbes, spoliari ditissimas insulas oculis pene ipsis Senatus conspexerit ; ut nulla sit gens, quæ, tum publici, tum privati commodi causa illorum potentiam repressam, atque imminutam vebementius cupere ; magisque niti debeat : utinam vero summo huic Pontifici concessum foret, ut præteritorum sæculorum præclara facta instauraret, ac sacro fœdere adstrictos Christianos Principes in communem hostem impelleret : quis enim ambigat, si semel pia arma susceperint, atque in illum unanimi consensu, consilio, viribus bellum intulerint, non in eandem mentem Venetos quoque consensuros ? nemo sane, neque animum, neque quotquot cogi poterunt copias, neque præclaros ausus desiderabit. Verum egregius iste, cunctisque laudibus superior Hadriani Pontificis conatus eundem finem habuit, quem Leonis tempora experta fuerant : nam speciosis, ac inanibus consiliis jactata Christianæ Reipublicæ vulnera refricarunt ; ac gravi quodam veluti veterno oppressam patefecerunt ; ne dum ut ex iis fructus aliquis pristinae majorum virtutis, atque gloriæ colligi potuerit ; cum gravioribus multo calamitatibus Europa, atque Italia præsertim (ut suo dicemus loco) redundaverint.*

Ceterum pax inter Cæsarem, ac Venetos agitari cœpta, variis obortis difficultatibus, ac disceptationibus trahebatur, cum ingentem auri vim Cæsaris Oratores a Republica peterent,

1523

Senatus responso.